

species, illi ut & botanicis omnibus gratissima esse debet, dum interea novum constitutum genus; et cum nullius majora sint in rem herbariam merita quam Clariss: Prof: Hfn. Oederi merita sit igitur Oedera. ¹⁾«

»Hic habes descriptionem generum«, inquit amicus hæc mittens, »Libri ceteri nullius sunt momenti, ubique Anti-Linneana.«

Per 2 septimanas me intra parietes tenuit pluviosa tempestas, quæ die et noctu ita perseverabat ut crederem novum diluvium, et certe exstitisset, si prius 40 diebus factum fuisset. Jam tumido collo, ex causa tempestatis frigidæ, aliquot diebus laboravi, nunc tandem aliquo modo restitutus, ita ut crastino die locum relinquere sit animus.

Si aliquando rescribas rogo ut literas Hafniam dirigas à Mons^r Brünnich. Professeur d'Oeconomie & Hist: natur: dans l'Université de Copenhague.

a Copenhague.

His Vale Vir Perillustris & me amare perge.

Dabantur in Valle St: Joachimi Bohemiæ. d. 2 Julij 1769.
missa ex Hof in Bareuth d. 9 Julij a. c.

p. s. Nuperrime audio Van Delliū demonstrasse contra Crantzium prædictas plantas esse species Draconis, ideoque Störkia & Oedera fatum habent cum Fungis, qui cito crescunt cito pereunt.

Ex Roma mihi communicavit Frater meus, qui pictor est, amicum ejus ex Svecia ibi degentem in arte sculptoria insignem mihi donasse effigiem quæ Te repræsentat in Gypso ideoque ad amicos scripsit ut Tibi dirigatur, ideoque rogo humillime ut illam mittas Hafniam à Mons^r Mathias Pløen Vægter Lieutenant boende på Nørregaden næst Dyrkiøb.

¹⁾ Diagnose paa Oedera dragonalis.